LAI
IA.
I.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

GYMNASII ETHICI EXERCITATIO V.

De

Justitia Universali

Quam

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Phil. Profess. Publ.

Placidæ ventilationi subjicit

JACOBUS TYDEUS,

Memelâ-Prussus.

In Gymnasio Gedanensi.

Ad diem Septemb.

Horis locoq; destinatis.

DANTISCI,

Typis Viduæ GEORGII RHETII.

Anno M. DC. XLIX.

EXERCITATIO V.

De

Justitia Universali.

VIrtus directa *Universalis & particularis* est. Universalis, qvæ in communi omnium virtutum objecto dirigit, *d. 4. t. 13.* Hæc *justitia universalis* est, inpræsentiarum consideranda.

2. *Justitiæ* vox modò officium mortuis solvendum notat, ut justa solvere, *modò* æqvitatem, ut meæ stultitiæ in tuâ justitiâ aliqvid præsidii sit, *Terent.* Modò Dei justitiam in peccatis puniendis, *Rom. 1. v. 32.* Qvod malè Photiniani negant, *Socinus de Serv. p. 1. C. 1. Ostorod. c. Trad. p. 3. C. 1. Smalcius, aliiq́,* Modò rectitudinem & fidelitatem, *Psal. 11. v. 6. 1. Joh. 1.* Vel hominum obedientiam, studium operum, externam disciplinam, justitiæ præmium, *modò* tropicè idolum justitiæ, Ut Delphinos justos, vel signum & systema ejus, ut Librum de justitiâ & jure, *vel* partem ejus, *vel* habitum ad justa volenda agendaq; inclinantem, idq; *vel generaliter*, ad omne justum, ut hìc, vel specialiter, in commutando, &c. Ut *d. 11.* videbitur. Dicitur, vel ut Juri statio, vel à vi sistendo, vel jus sistendo &c. Et Justitia legalis, universalis obedientia, legitima, perfecta, etiam vocatur. *Qvidam* Pietatem vocant, ut *Morisanus d. 6. Eth. qvæst. 2.* Τὸ *Universale* notat *vel* multis commune, ut Prædicabile, *vel* multis succurrens, ut Medicina Universalis, *vel* ad multa se extendens eaq; ordinans. Sic hìc Justitia Universalis dicitur, non genere, specie, aut numero, qvasi

singula virtus esset, sed aggregatione ex diversis speciebus constante, in certum respectum ordinatâ, & ex eo perfectionem ac denominationem sortiente.

3. *Res ipsa*, Justitia Universalis, *in reali positione, Definitione, Causis & Effectis, & Diversitate ac Oppositione* videnda est. *Realis Positio est*, qvà reverâ datur, non tantùm cogitatur. Qvod patet & *artificialiter*, qvia in Ethicis non absolutè tantùm & ratione sui homo perficiendus, sed & comparatè cum aliis, ut probitatem & erga alios in conversatione exerceat, & vi legum justè ad publicum bonum eam ordinet. At hoc facit Justitia Universalis. *Et inartificialiter*, experientiâ, qvâ videmus qvosdam pro se solitariè probos, sed in conversatione publicà cum aliis non satis legitimè se habere. *t.4.* E. aliud virtuosum in se, & aliis talem esse. E. & aliud Justitia Universalis, aliud Virtus particularis: *Et testimoniis Philosophorum, ut Aristot. 5. Eth. C. 1. 2. Jac. Martin. C. 3. d. 6. q. 9. Keckerman. Morisani*, & aliorum. Qvidam generalem Virtutis conditionem eam faciunt, ut *Amesius 2. med. C. 2.* Rectiùs Directrix ejus ad obedientiam legum & justè exercendam eam dicitur, non ut prudentia dirigit, *d. 4. t. 12.* Sed ut habitus leges respiciens.

4. *Definitio est, Habitus moralis hominem ad obedientiam omnium legum inclinans, & congruè juri ac legibus in societate civili vivere faciens. Habitus*, qvia operationem facilitat. *Moralis*, qvia ad actum moralem ordinatur. Non specialis aliqva Virtus dicitur, qvia à Virtute particulari *universali complexione*, qvia omnes secundū leges in communitate ad publicam salutē ordinat, *respectus super Virtutem additione*, qvà Virtutem ad alium ordinat, ut & erga eum ea exerceatur, unde alienum bonum

dici-

dicitur, *5. Eth. C. 3.* Cum privatìm bonus aliqvis esse possit, ut publicè erga alium malus sit, *t. 3.* Privatim abstinere, & publicas pecunias depeculari, unde *Cicero in Læl. t. 63.* Qvidam, qvos parva pecunia movere non potuit, cognoscuntur in magnâ: *Et legis observatione* differt, qvia ad honestas leges inprimis respicit, cum Virtus honestum absolutè ex dictamine rectæ rationis servare faciat, posito, etiamsi nulla lex extet.

5. *Hominem ad obedientiam legum inclinans*, qvia leges respicit, ut jussa earum serventur, prohibita vitentur, inq; eo à Virtute ut sic differt, *t. 4.* Unde lex effectum & objectum Justitiæ Univ. est. *D. 6. t. 3. Et congruè juri & legibus in societate civili vivere faciens*, Qvia leges de Virtutibus ad bonum commune pertinentibus præcipiunt, inde J. U. leges observans per omnes Virtutis species progreditur, ut qvævis justè & decenter ad alium in societate exerceatur. *In societate*, ut respectus ad alium, cum qvo versandum, habeatur, non ut una facultas alteri in uno homine obediat, ut voluntas rationi, appetitus voluntati, ut *Plato & Ehemius* volunt, sed ut æqvè inter hominem & hominem procedatur, leges observentur, ordo ad publicum bonum involvatur, ut ejus gratiâ & intuitu per omnium virtutum decursum æqvè cum alio vivatur, ut homo legi actus virtutum ad commune bonum ordinanti concordet, non adversum qvid illi ullo modo committatur.

6. *Justinianus Imp. an Vniversalem, an Particularem Iustitiam definierit l. 1. instit. t. 1.* Cum constantem & perpetuam voluntatem Jus suum cuiq; tribuendi dixit, qværi hìc solet? *Qvidam* universalem intellexisse putant, *ut Bachovius l. 1. Instit. t. 1. n. 1. Hunnius T. 1. in Treutt.*

d. 1. q. 6. & T. 1. Var. Ref. L. 1. tr. 1. q. 3. Duarenus, Alciatus, Wesenbecius, Heigius, aliiq; ap. Wesenerum, prodr. Jurspr. n. 12. Alii particularem, *Treutlerus vol. 1. d. 1. t. 1. Contius, Arumeus, & Donellus ap. Hunnium, Forsterus, Schneidevuinus, Corasius, Oldendorpius, ap. Wesen. c. l. Schikardus d. 1. Instit. t. 1. lit. g.* Et verius videtur, si verba, Jus suum cuiq; tribuendi, propriè & accuratè sumi debeant, ut in Definitionibus omninò debent. *Aliud n.* conformitatem vitæ ad legis præscriptum per se & essentialiter respicere, qvod Just. Un. facit, *t. 3. 4. Aliud,* Jus suvm cuiq; secundùm præscriptum legis tribuere, qvod particularis. Et effectus hic particularis est, Jus cuiusq; in hoc aut illo Casu, qvod reddendum. E. & Justitiam particularem hic intelligi oportet. Conformiter ad legem & is vivere potest, qvi nullum Jus propriè alteri tribuit. Ut qvi Sobriè, castè, mansuetè, fortiter, modestè pro se vivit, nullum Jus alteri propriè tribuit, & citra ullum alterius damnum aut injuriam ebriè, iracundè, timidè, superbè, vivere posset. Sic liberalis alteri ex liberalitate aliqvid concedere potest, ad qvod nullâ speciali Juris obligatione tenetur, ex Iustitià universali aget, sed Jus suum alteri tribuisse non dicetur, qvod illi hic ad rem concessam ex Iustitia non competiit. Vigore Liberalitatis enim datum est, non Justitiæ. Et si Un. iustitiam intellexisset, longè aliter eam definire oportuisset, *t. 4.*

7. *Per accidens fieri potest,* ut Just. Univ. Jus suum alteri tribuat, qvà Particularem certo modo includit, & secundùm eam in societate vivendum lex etiam præscribit. Sic cum intemperans cum alterius uxore consuescit, injustus est, & marito Jus in uxore habenti injuriam facit, & simul contra leges publicas id vetantes

peccat,

peccat, & universalem justitiam lœdit, ac contra eam aliqvid committit. Sed ex accidente hoc est, non Naturâ & Essentiâ Justitiæ Universalis. *Et aliud est*, an Justia Universalis etiam pro fine Jurisprudentiæ esse possit, ut Universale omnium Virtutum secundùm leges exercitium reqvirat, de qvo qvidam hìc disceptant: *Aliud*, an justitiam Universalem verbis definitionis Imperator complexus sit. Etiamsi prius verum esset, posterius tamen indè non seqveretur. *Nec verba, Jus suum cuiq; tribuere, ita latè extendi possunt*, ut & proprium suppositum notent, & virtutem ab homine absolutè pro se solo exercitam comprehendant, ut Temperanter vivere, fortiter agere, patienter tolerare, modestè gerere. Cum τὸ *cuiq;* alium satis manifestè & proprio significato notet, cum qvo versandum, cui id tribui debet, ad qvod Jus obtinet, & ni fiat, injuria ei fiat.

8. Si enim sic generaliter sumantur, ex opposito, qvi inhonestè vivat, ut avarè, ebriè, libidinosè, immodestè, injuriam sibi facere dicendus esset, qvod significatum vocum & phrasios non admittit. Non enim inhonestas morum injuria Latinis vocatur, nec aliqvis in seipsum propriè injurius esse potest, ut benè contra *Platonem Aristot. 5. Nicom. C. 15.* disputat, cum nemo spontè injuriam patiatur: Inhonestas autem morum spontè ab homine exerceatur. Sed nec istud verum, *Jurisprudentiæ finem universale omnium virtutum exercitium esse*. Ethicæ enim propriè hic finis est, qvæ beatitudinem civilem in generali intendit. *d. 2. t. 1. Et d. 1. t. 11.* Et specialiter Justitiæ universalis in Ethicâ propositæ. *t. 3. 4. Jurisprudentia disciplina Specialis est*, eoq; Speciale Obiectum & finem habere debet, qvi Justitia in

Republ. in ſpecialibus actionibus & caſibus ſervanda eſt, qvorſùm ipſa ordinata eſt. Omnes enim caſus Juris, qvos ipſa decidit, circa Jus alteri tribuendum, & denegatum, verſantur, Ut patet. Cùm generalia Juris præcepta complecti dicitur, Ut honeſtè vivere, neminem lædere, ut *Ethica* id facit, non ut Jurisprudentia. Ethicæ enim propriè ea principia ſunt, qvæ honeſtatem in communi reqvirit, qvibus ad ſuum finem etiam utitur Jurisprudentia. Et ſic ut Ethicam junctam habet, ea etiam intendere dici poteſt.

9. *Dices 1. Tria juris præcepta*, Honeſtè vivere, Nem. loed. S. C. T. univerſam virtutem complectuntur. E. & definitio magis ad juſtitiam univerſalem ſecundùm iſta præcepta flectenda, qvàm particularem. R. *Tria iſta* præcepta propriè Ethicæ ſunt, non Juriſprud. *t. 8.* Qvæ aliqvid de Ethicâ decerpit, & pro ſe tractat, & ſic hæc adducit, qvæ propriè Notitiæ Naturalis moralis ſunt, qvæ ad omnes morales diſciplinas ſe extendit. *V. de Not. Nat. C. 6. t. 7.* Inprimis a. *Ethicam*, unde huic ſpecialiter asſignantur. Unde honeſtè vivere non generaliter de omni virtute, ſed ſpecialiter ſecundùm ſubjectam materiam per relationem unius præcepti ad aliud explicandum, ut honeſtas juſtitiæ particulari affinis intelligatur, per *l. 9. ff. d. teſtib. l. 42. ff. d. R. n. 2. Leges Civiles* de omni genere virtutis præcipiunt, non ſolà Juſtitiâ particulari. Sic quæ fortitudinis, temperantiæ, manſuetudinis, modeſtiæ, ſunt. *R. Hoc faciunt*, ut & Ethica aliqua inſpergunt ac adducunt, non præciſè Juridica. Ethicæ n. munus eſt, omnem virtutem præſcribere, & ſic & Juſt. Univ. Unde & de lege in communi hic agitur, *d. 6.* Sic & de religione, ſummâ Trinitate, & fide Ca-

tholicâ

tholica leges in Corp. Juris ſunt, *Cod. l. 1. t. 1.* qvæ tamen ad objecta *Theologiæ, non Jurisprudentiæ*, propriè pertinent, Et Leges *de omni honeſto* præcipere posſunt, qvod honeſtum tamen Ethici fori propriè eſt. *Ethica* diſciplina moralis generalis eſt, eoq; univerſum honeſtum præcipit, & ſic & Juſt. univ. tradit: *Jurisp.* ſpecialis, & honeſtatem ad Juſtitiam, qvam intendit, ordinat, qvà ex honeſto non præſtito injuria in alterum redundat, qvam ipſa propulſare debet. Sic ex concubitu cum alterius uxore, *t. 7.* E muris non defenſis, armis abjectis, fugâ arrepta injuria ad Remp. ex pulſato aut convitiato concive ad civem redundat, eoq; Juſtitiæ vi talia vindicare intendit *Jurisprud.* Et huc pertinent, qvæ *Hunnius T. 1. Var. Reſ. tr. 1. q. 3.* adducit. Cognata ſunt Ethica & Juridica, & ubi illa deſinit, hæc incipit, ut *d. cogn. hum. t. 27.* dictum. Non tamen eadem. *V. d. 1. t. 3. ſeq.*

10. *Cauſæ ejus* eædem, qvæ Virtutis in genere ſunt, ut DEUS, Natura, Ratio, Voluntas, Homo agens, *d. 4. t. 10.* Effecta Jura ac Leges ſunt. De qvibus *d. 6. Diverſitas eſt, qvâ à Virtute morali in genere, prudentiâ, Juſt. particulari, Virtutibus homileticis, & pietate in patriam in ſpecie diſtingvitur. A Virtute morali in genere* ratione & formalitate, non totâ esſentiæ realitate differt. Virtus ex ſe perfectionem ſubjecti proprii reſpicit, conſeqventer boni communis, ut Natura hominis, qvi ſociale animal, qvarundam virtutum, ut fortitudinis bellicæ, magnificentiæ, & homileticarum virtutum docet, qvæ converſationem ſpectant, & qvi honeſtè pro ſe vivit, conſeqventer leges de eo latas contemnere non poteſt: *Juſt. Univ.* primò bonum commune & publicas leges, ſecundò privatam perfectionem attendit. *Univerſa virtus* ſub Honeſta-

 neſta-

neſtatis ad publicum uſum applicatione & juſta exercitatione ſpectatur. *Virtus* ad exercitium boni actus inclinat, *Juſt. Univ.* in commune bonum redundat, eoq; virtutem ordinat. Virtus, ut ἕξις, κτῆσις, & abſolutè in ſubjecto eſt: Juſtitia, ut πρᾶξις, χρῆσις, & comparatè ad leges & publicum ſtatum eſt. *Virtus* habitus nudus eſt, & bonum pro ſe facit; *Juſtitia* habitus in uſu ad alios exercitus eſt, & bonum etiam alii ac Reipublicæ facit. Sic injuſtitia univerſalis, legum violatio & injuſti ad omnes exhibitio eſt, *t. 13*. Et ſic *Ariſt.* virtutem & Juſtitiam univerſalem re unum idemq; eſſe docet. *5. Nicom. c. 3.* Qvod de eo concedunt *Leſſius 2. d. J. & Jur. C. 2. Streveſdorff. d. J. &. J. qv. 57. Bachovius l. 1. Inſtit. t. 1. aliiq;*, etſi eſſentiam ejus à virtute diverſam *Ariſt.* dicat. Hic enim per eſſe formalem conceptum & eſſe rationis intelligit, qvod interdum ita vocat, ut exemplis *Hornejus 3. Eth. c. 11.* oſtendit, & fruſtra Contradictionem in appoſito metuit *Timplerus 5. Eth. c. 10. q. 4.*

11. *Qvidam* tamen oppoſitum ſentiunt, & J. U. diverſam virtutis ſpeciem faciunt, etſi vi, officio, & efficaciâ generalis ſit aut eſſe poſſit. *Thomas, Molina, Soto ap. Hornej. c. l. Valentia T. 3. d. 5. q. 2. Leſſius c. l. Streveſdorf. c. l.* & apud illum *Bannetz, Arragon, Salon, Malderus*, aliiq; , *Euſtachius S. Pauli P. 3. Eth. tr. 3. d. 2. Sect. 2. q. 4.* Qvorum argumenta *Hornejus c. l.* diſcutit. *Dices 1. Reſpectivum ab abſoluto realiter differt:* Juſt. U. eſt reſpectivum qvid, virtus abſolutum. E. R. Reſp. in formali ſuo diff. ab abſoluto realiter, qvia ei oppoſitum, non autē in omni materiali ſub eo contento. In Deo eſſentia & Paternitas, in Ente eſſentia & Veritas, Bonitas, Ubietas, tantùm ratione differunt, nec ut res & res ſe habent, nec realē compo-

ſitio-

ſitionē inferunt. *V. D. Es. alic. ſ. 1.* Reſpectus tranſcendentalis, ut in cauſa ad cauſatū, materiâ ad materiatū, ſubjecto ad adjunctū, ratione à causâ, materiâ, differt. *2. Sic explicatâ* virtute & ipſa patebit, non peculiariter eam explicari opus erit. ℞. *Non ſeqvitur.* Iſte enim reſpectus qvia alicujus momenti, diſtinctè & ſpecialiter explicandus erit. Sic in Deo Paternitas diſtinctè explicatur præter esſentiam, Bonitas & Ubietas in Ente, *c. l. 3.* *Separari posſunt.* E. realiter differunt. ℞. N. Conſeq. Calor & Caloris gradus, fervor, ſeparari posſunt, esſentia humana & ſubſiſtentia ſeparantur, ut in Chriſto, & tamen modaliter tantùm differunt, ut res & rei modus, non ut res & nova res. Virtus Communis & Heroica ſeparantur, & gradib. tamen, non totâ ſpecie differunt. *d. 14. t. 1.* Plura in diſcurſu.

12. *A Prudentiâ* differt, qvòd hæc virtutem etiam abſolutè & in ſe, ut norma ad medium dirigat, Juſt. Vniver. in ordine ad alium, *illa* ad perfectionem ſubjecti proprii, *hæc* ad alieni, Reipubl. & alios, cum qvibus verſandum, *illa* mediocritatem & honeſtum, *hæc* exercitationem virtutis, & ut honeſtum æqvè erga alium exerceatur, *illa* virtuoſum, *hæc* virtuoſè coram alio ſe gerentem facit, *illa* medium ad circumſtantias dirigit, *hæc* ad obedientiam legum, & Juſtam erga alios pro publicâ ſalute exercitationem, applicat. *A Juſtitiâ particulari* differt, ut totum & generale à parte & ſpeciali. *Illa* circa objectum ſpeciale, bonum externum, *hæc* circa generale, om. virtuoſum objectum verſatur. *Illa* inter eos eſt, qvorum unus alteri non eſt obligatus. Unde inter Creatorem & Creaturam, herum & ſervum, patrem & filium ea non eſt, qvòd unum alteri hic ſem-

 per

per obligatum ſit. Hæc inter eos, qvæ obligationem inferunt. Nam privatus in ordine ad leges publicas agens membrum Communitatis eſt, cui obligatur. Hactenus ergò & alteri, cum qvo verſatur, obligatur, ut juſtè & æqvè cum eo vivat. *Illius* oppoſitum eſt externorum iniqva diſtributio & cummutatio, *hujus* παρανομία & omnium honeſtarum legum violatio. *t. 13. Ab homileticis virtutibus differt*, qvòd illæ ſpeciales virtutes ſint, ſpeciale objectum habeant, & inprimis converſationem privatam dirigant, *V. d. 10.* Hæc generalis, generale objectum & ſocietatem publicam, leges & reſpectum ad eas, involvat. *A pietate*, qvia hæc ut effectus ad cauſam obligat, qvià è patria ortum qvis habet. Sed. J. V. ut pars ad totum, & membrū ad corpus, obligat, qvod majus eſt. Sic maritus uxori adhæret, & parentes linqvit. *Matth. 19. v. 5.* Qvia familiæ ſuæ domeſticæ pars, parentum tantùm effectus eſt. *Sic Respublica* in caſu præferenda ſaluti patris, qvia civis illius pars, hujus tantùm effectus eſt. Pietas legem innatam reſpicit, J. V. magis leges in Rep. latas.

13. *Oppoſitum ejus Injuſtitia univerſalis*, omnium legum, & conſeqventer virtutum, violatio eſt, qvantum in uno ſubjecto ſimul locum habet. *Vitium* enim unum evertit alterum, ut ſimul in individuo ſtare non poſſint. Ut prodigalitas avaritiam, timiditas temeritatem, crudelitas lentitudinem exterminat, ut non crudelis & lentus homo ſimul eſſe poſſit. Niſi fortè alio tempore, ut de uno vitio in alterum declinet, vel *affectu & appetitu* omnia vitia in homine eſſe poſſint, non de *facto & actu*. Sic bonas leges everſas velle, ut actu non invertat. Sic *Lyſander* univerſaliter injuſtus, omniaq; utilitate penſavit. *Eraſm. l. 1. Apophth. t. 60. 61. Caligula, Sveton, in Calig. c. 22. 23. ſeq.*